

nobis passiones aliquas generari: tunc fomites movet, laqueos parat. Unde non immerito (sicut audistis hodie legi) Propheta dicit: Quia ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero. Symmachus irritationis verbum dixit, alii perturbationis. Laqueus adversarii est sermo noster, sed etiam ipse non minus adversarius est nobis. Loquimur plerumque quod excipiat inimicus, et quasi nostro gladio nos vulneret. Quanto tolerabilius est alieno gladio, quam nostro perire? Explorat ergo adversarius nostra arma, et concutit sua tela. Si viderit moveri me, inserit aculeos suos, ut seminaria jurgiorum excitet. Si emisero verbum indecorum, laqueum suum stringit. Interdum mihi quasi escam proponit vindictae possibilitatem, ut dum vindicari cupio, ipse me inseram laqueo, et nodum mihi mortis astringam. Si quis ergo hunc adversarium sentit praesentem esse, tunc magis custodiam adhibere debet ori suo, ne det locum adversario. Sed non multi hunc vident.

QUOD ETIAM CARNALES INIMICOS, CUM NOS INSTINCTU DIABOLI
AD CONVICIA PROVOCANT, PATIENTIA SUPERARE DEBEAMUS.

Sed etiam ille cavendus est, qui videri potest, quicumque irritat, quicumque incitat, quicumque exasperat, quicumque incentiva luxuriae aut libidinis suggerit. Quando ergo aliquis nobis conviciatur, lacessit, ad violentiam provocat, ad jurgium vocat: tunc silentium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus. Peccator est enim, qui nos provocat, qui injuriam facit, et nos similes sui fieri desiderat. Denique si taceas, si dissimules, solet dicere: Quid taces: Loquere, si audes. Sed non audes: mutus es, elinguem te feci. Si ergo taceas, plus rumpitur: victum se reputat, irrisum, post habitum, atque illusum. Si respondeas, superiorem se factum arbitratur, quia parem invenit. Si enim taceas, dicitur: Ille